



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XVIII. Biuum Magdalene.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

## ELEGIA XVIII.

*Biuium MAGDALENÆ.*

PRO quām tetra tuos turpant contagia vultus!  
 Et quām monstrificis larua stat atra genis?  
 Ite genis lacrymæ, cessas? rea Magdala cessas?  
 Quod petitur, gutta est, guttula nulla venit?  
 Si fluit hæc, modico scelus omne piabit in imbris:  
 Ni fluat, in pectus confluet omne nefas.  
 Cerne, biceps bifido secat hæc iter orbita ramo:  
 Hac pietas, illac impius error abit.  
 Hinc scelus in sicco te calle reuoluet Auerno;  
 Inde dolor madidâ ducet ad astra viâ.  
 Elige: dexter Amor Superis iter explicat oris;  
 Ad Styga sed præcepis lævus aberrat Amor.  
 Ille viam lustrat tranquillo candidus astro;  
 Hic pronum piceo turbine cæcat iter.  
 Cura redux gemino tibi cor an diuidit œstro;  
 Incertisque vetat stare vel ire modis?  
 Pallenteisque vetus mundi trahit orbita curas?  
 At noua lux alio tramite pandit iter.  
 Si cor in gemini diuertia scindis Amoris;  
 Quem sequeris? curas alter, & alter habet.  
 Num via sidereo te subuehit ardua mundo?  
 An rapit ad Stygios te via prona lacus?  
 Haud adeò, pia Nympha, tibi est auersa Deo  
     mens,  
 Sponte sequi ut lævo tartara calle velis.  
 Digna magis Cælo, mage Cælite digna corb-  
     nâ es:  
 Dexteriore potes surgere ad astra viâ.

B 5

LI-